Quaestio Quodlibetaria agit.[da] In Scholis Medicorum die Iouis 20.[o] Nouembris.

M. Ludouico Dreux Moderatore.

An facultatum omnium vector Spiritus? 150

Naturalis et organici corporis ἐντελέχεια est anima, quae sola pro suae rationis compositae et adventitia, caeteraque cum parentum semine susceptarum perfectionum includit, et simplex cum sit per corpus universum tota diffusa viribus suis maxime prodit facultatibus distinctis sedibus, operis, et instrumentis, sed tamen unicum, et in corde vitam adeo conspirantibus, ut una intercidente reliquae intermoriantur. prima earum vi et tempore naturalis est, quae a iecore humorum omnium fonte per venas cum spiritu ei munere destinato in partes longe dissitas illabitur, ut quatuor satellitum ministerio earum nutritionem et augmentum perficiat.

Procreatrix facultas huic subiicitur, quae in adultis semen foecundum triplici spiritu perfusum in solis gignit testibus inter partes nobiles propterea numerandis, ex quo in utero coniecto desinentibus magis mensibus foetus concipitur, fere morbis, moribus, et officio parentibus similis. Cuius partes omnes vis formatrix seu conformatrix quoquouersum diffusa simul aggreditur, licet pari tempore non promoueat.

Cordis facultas duplex est, vitalis et irascibilis; illa caloris corporis et animae vinculum pulsus et respirationis voluntariae praesidio tuetur, vitalemque spiritum ex inspirato aere, et sanguinis vapore gignit, quo vectore partes universas subit, ut vim earum sopitam ad agendum suscitet, et iacturam insiti caloris reparet: haec vero animi pathemata mulieribus grauiora moderatur non sine rationis imperio, quas quanti rem obiectam facit, tantum vis illa animosa commouetur.

Ab ea distinguitur vis pulsifica cordi et arteriis communis, et peculiaris in quas ab illo tanquam a fonte dimanans, non cum spiritu et sanguine per tubum, sed per tunicarum substantiam, hae cum corde dilatantur, et contrahuntur. Cuius actio est pulsus natiui caloris custos, qui contrariis constat motibus geminaque quiete, et sua distinctis, diastole, et systole. per illam frigidus aer substantia et qualitate utilis fuga vacui extrinsecus trahitur; per hanc fumida excrementa caloris effervescentia foras expelluntur.

Facultatum omnium dignissima, et quidem tamen minime necessaria est animalis, quae a cerebro frigido humido per neruos mobiles cum spiritu, quem ex vitali elaborat, in sensuum organa diffunditur; quorum alteratio percipitur communi sensui de singulis iudicaturo superstite, ut sensus omnes fiant patiente sensorio. At motus actio est, et ut sensu illaeso plerumque laeditur, ita eodem deficiente vel sublato non sine musculis perficitur. princeps vero facultas per totum cerebrum dispersa nihil agit citra spiritus opem, neque vllius rei habet cognitionem, quae ab externis sensibus primum non duxerit originem.

Ergo facultatum omnium vector Spiritus.



Ponebat Claudius Boyuin Parisiensis. 1578.

D. Doctores Disputaturi.

M. Hugo Prenosteau. M. Guillelmus de Baillou. M. Petrus l'affilé med. reg.
M. Nicolaus Ellain. M. Martinus Akakia Pr. et M. reg. M. franciscus Brigard med. reg.
M. Nicolaus Millot. M. Petrus de la Bistrade. M. Simon Pietre.